



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita
Considerationes R. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu**

Druzbicki, Kaspar

Coloniæ, 1721

Consid. 21. Quòd solida virtus enervetur tentationibus, & neglectu utendi
virtute.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)

CONSIDERATIO XXI.

Quòd virtus solida enervetur tentationibus & neglectu utendi virtute.



Uⁱ perfectus est, necesse est, ut eum tentatio probet, *Virtus enim in infirmitate perficitur*: dum enim tentatur, quodammodo ad infirmitatem deducitur, cui dum resistit, exercetur: exercendo habituatur, atque ita roboratur, & sic perficitur; sicut ferrum, dum igni injicitur, mollius efficitur, sed tamen ab igne exemptum & malleo percussum induratur & rubigine privatur. Quo ex capite Venerab. Beda pronuntiavit, quòd *Catholica Ecclesia magis magisque roborata est, non resistendo sed perferendo*, tentationes nimirum & furores hostium tam invisibilium quàm visibilium. Sed quid ad hoc dicimus, quòd tentatio non tam videatur perfectionem virtutis quærere, quàm everisionem? quis enim tentat, ut ei profit quem tentat, non potiùs ut noceat? Nihilominùs verum est, quòd tentatio virtutem solidet. Vexat discipulum Magister, & scientiam ejus ventilat, non ut discipulus nesciat, sed ut meliùs sciat, quia *vexatio dat intellectum auditui*. Tentat militem imperator & periculis exponit, ac laboribus fatigat, non ut eum perdat, sed ut robustum ac fortem efficiat. Sic etiam Deus permittendo, à Diabolo nos tentari, non quærìt, ut cadamus, sed ut pugne-

pugnemus, pugnando vincamus, vincendo coronemur & triumphemus. Evertit quidem aliquando tentatio virtutem, quia sicut idem ignis liquat ceram, durat lutum, purgat aurum, comburit paleam; ita tentatio quosdam exurit, quosdam puriores reddit; quosdam solvit, qui amittunt sustentiam; quosdam durat, qui fructum afferunt in patientia; evertit, inquam, aliquando virtutem tentatio, sed non propterea, ut non fuisse vera solidave virtus probaretur, vel ut si fuit vera & collapsa, de novo & quidem firmitus restauraretur. *Vir enim fugiens iterum pugnabit, & semel lapsus cautius incedet, semelque deceptus prudentius credet.* Cytharam, ajunt, confractam in minuta licet frustra, iterum autem instauratam, solidiorem reddi & magis sonoram: sic anima tentatione esto prostrata, sed aliquando tamen restaurata, fortior redditur, in humilitate solidatur, in caritate augetur, *cui enim plus dimittitur, plus diligit.* Quantus surrexit post lapsum David! quanta Magdalena! quantus Petrus aut Paulus! nonne testudines restauratae, dulcius sonuerunt? Neque tamen ideò tantum succumbendum est, ut dulcius aut fortius sones (non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona) sed si succubuiisti, da operam ut fortior surgas, cautius vivas, robustior pugnes, & fias quasi David post offensam.

Habent tamen aliud adhuc periculum tentationes, quia etsi non evertant, retardant tamen & in-frigidant virtutem: ita *ut non faciat cum tentatione proventum, quem ut faceret, à Deo erant permiffa*
vel

vel solent permitti. Sicut enim frigida aqua, calidæ
superinfusa, eam infrigidat, ita tentatio animæ
virtutique ferventi adveniens eam refrigerat.
Quanti enim modò ferventes, tentatione adveni-
ente, fervoris obliviscuntur & languent! quid fer-
ventius Petro in hortum pergente cum Christo? quid illo
frigidius, cui dicitur: *Simon dormis? non potuisti unâ horâ vigilare mecum?* quid ferventius
illo, qui dicebat: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum?* Quid eodem frigidius, qui
mox dixit: *Avertisti manum tuam, & factus sum conturbatus?* Ob quod oportet semper esse para-
tum ad pugnandum & servandum illud Sapientis: *Sta in timore & prepara animam tuam ad tentationem.* Impossibile enim est non tentari in hoc mun-
do, & impossibile est aut non vinci tentatione, aut eâ
superiorem non fieri. Tentaberis: pugnabis: igitur aut succumbes, aut pervinces; non succum-
bes nisi ipse volens, nisi negligens, nisi te negligens,
nisi te tentationi tradens; non vinctes etiam, nisi gra-
tiâ Dei adjutus, & voluntate bonâ præditus. Gra-
tia tibi nunquam deerit, modò tu illi nunquam de-
sis; & fidelis est Deus, qui non permittet, te unquam
tentari supra id quod potes.

Sciendum verò est, variè infringi fervorem vir-
tutis tentatione. 1. Metu tentationis, quem me-
tum metuens Deus Israël ex Ægypto egresso, no-
luit illum rectâ paucorum dierum viâ ducere in
Palæstinam, ne Israël videns adversum se plurima-
rum tortissimarum gentium bella consurgere, me-
tu illorum rediret in Ægyptum. Ob quod per deser-
tum, illum circumduxit 40. annis, ut sensim eum

M

& cul-

& cultui suo assuefaceret, & paulatim atque per partes gentes illas deleret. Ita Deus providè non finit nos in servitio suo graviter tentari, sed dispensat tentationes secundùm tempora, secundùm vires, secundùm quod nobis magis expedire noverit, & sibi placere voluerit. 2do modo, tentatio fervorem reprimit virtutis, non jam metu sed experientiâ suâ: expertus enim quis tentationes & earum vires, lentior & segnior efficitur in operibus virtutis. Irrisus semel, vexatus, contemptus, confusus, vel aliter probatus, fugit deinde esse observans disciplinæ, ob quam ab aliis irrisum se meminit & vexatum. Quid huic factum est? Tentatio fervorem virtutis intregit. atque hoc contingit etiam victoribus tentationum, qui vincunt quidem tentationem semel vel quoties se offert, nolunt tamen illam sibi offerri, nolunt ejus offerendæ occasionem dare, nolunt crabrones irritare, eligunt magis sinè pugna pacatè vivere, quàm pugnando vincere & triumphare. Sed hi in professionem suam peccant, quia milites se profitentur & pugnam detrectant. Deinde isti, dum tentationem vitant eaque carere volunt, jam hoc ipso tentantur: pax enim illa, quam amant, periculosior est bello quod horrent. Illam enim pacem volunt, ut securi sint; quod in hac vita non licet, quod in hac vita periculosissimum est. non est enim hìc tempus securitatis sed cautelæ, quia non est locus pacis, sed pugnæ. Isti ergo aquam in igne quærunt, pacem in tentationum regno. Præstat, inter hostes viventem, semper arma & pugnas meditari, quàm pacem somniare; quia etsi tu pacem fortè desideras, sed hostis
tuus

tuus in tuam perniciem vigilat ; faciliùs autem te perdet, pacis consilia meditantem & securè agentem, quàm omnia suspecta habentem, semper excubantem, semper gladio accinctum, galeâ munitum, scuto tectum, hostem exspectantem. 3tio modo, infringit tentatio fervorem virtutis, molestiâ certaminis, aut potiùs inscitiâ pugnantis. Sciendum namque est, tentatorem nostrum sæpè nos tentare, non ut speret & ad peccatum inducat, quia hoc in perfectis plerumque desperat, sed ut oppugnet, oppugnando inquietet & melioribus studiis, quibus nos deditos vel dedendos novit, tentationis abigendæ curâ divertat. Utroque igitur modo virtutem retundit, inquietando nempe & occupando mentem. Et assequitur utrumque hoc improbus tentator, si non sit cautus virtutis suæ propugnator. Nam si voluerit tentationi ita resistere, ut cum eâ velit cominùs congredi, ejus omnia initia, occasiones, vices, gradus, momenta observare, ad singula scrupulosè objecta scrupulosiùs respondere, omnia distinctiùs nôsse, semper expressè, distinctè, explicitè consensum negare, neglectis aliis rebus ad obsistendum, tentationi toto virium suarum & vigiliarum exercitu occurrere : talem, qui sic pugnat & tentationi resistit, necesse est & inquietissimum reddi, & à melioribus studiis occupationibùsque avelli, & insuper umbris, suspicionibus, perplexitatibus, dubiis, formidini- bus, scrupulis, scopulisque innumeris, ac quotidie pluribus involvi : vires prætereà corporis frangi, sanguinem aduri & corrumpi, spiritus exhauriri, cor emarcescere, imaginativam & judicativam

vim lædi, totum denique hominem tentatum, phanaticum, carnalibus, infidelibus, blasphemis cogitationibus agitari ac impleri, propè insanum, penè illusum, vix non obsessum, planè & plenè ad omnia inutilem, exosum, ridiculum, gravem effici. Ad quos scopulos, etsi non omnes devenire certum est, devenire tamen non paucos, etiam certum est. omnes autem, qui illâ prædictâ ratione cum tentationibus depugnant, eamque plùs minùs sectantur, certum quoque est, his duobus se primùm quidem damnis prioribus involvere, inquietudinis nempe & à melioribus avocationis, deinde illis sequentibus periculis plùs minùsve non procul abesse. Et tamen in spiritali vita, inter spiritalia homines, vix reperire est aliam tentationibus resistendi rationem ab ista: quam ut ob utentium frequentiam atque authoritatem non damno, ita ob suprâ dicta incommoda non laudo. E quâ illud etiam eminet incommodi, quòd cum sit illa via resistendi adeò tum difficilis, tum inquietuosa, tum bonorum meliorum impeditiva, tum etiam ad illa alia mala viam veluti insternens; non pauci id videntes in aliis, & metuentes in se experiri, eligunt potiùs laxè vivere, de tentationibus parvam curam agere, neglectim spiritalia tractare: ne si velint id diligenter facere, cogantur à tentationibus omnia illa incommoda subire, vel illa subeundi periculo se se exponere. Quòd incommodum sanè grande est, & vitandum, Deoque odibile, quia detrahuntur per illud homines sacrificio Domini, & multi qui possent, & alioqui vellent, non curant esse perfecti.

Quid

Quid igitur cum tentationibus faciendum est ,
ne aut molestæ sint , aut nos ab optimis studiis
actionibusque longè magis in Deum animum
transferentibus atque corda unientibus avellant ?
Obsistendum illis est , & quidem si fieri potest, in
ipso earum primo initio, obsistendum , non illâ
prædictâ ignorantî diligentiâ, sed aliâ quadam dili-
genter vigilantî negligentî; dissimulatione , con-
temptu, ignoratione, & ad res quæ bonæ in mani-
bus sunt, & à mente tractantur, attentione , men-
tisque applicatione; ita ut his velut immerſi, tenta-
menta diaboli vel non advertamus, vel certè ac si
non adverteremus, ea prætereamus, nostras res
agere pergamus , linguam tentationum tanquam
nobis peregrinam non intelligamus, ipsum deni-
que sensum & motum inferioris nostræ portionis,
perinde ac si alibi & non in nobis esset, dissimule-
mus & hanc dissimulationem tam diu tamque ob-
stinatè teneamus , donec ad alia animo distracti,
tentationis apprehensionem & memoriam non
habeamus, aut certè diabolus tædio victus tenta-
tioni supersedeat, nòsque quietos interea vel ad
tempus relinquat. Idque servandum est, etiam
tunc, immò maximè tunc, quando tentatio maxi-
mè fervet, furit, se se objectat , viscera etiam ipsa,
& imaginationem oberrat, memoriæ se se obtru-
dit, & quodammodo nunc hinc, nunc illinc assistit
& assilit, tunc, inquam, ad tentationem maximè
clamantem, maximè surdescamus, maximè linguâ
ejus (licèt cognoscamus) advertere nos dissimule-
mus; nullo, quantum fieri potest, signo molestiam
& advertentiam ostendamus, sed ac si extra nos es-

set negotium, ita contemptum hostem eludamus. Neque tamen hoc periculum aut non resistendi aut consentiendi, aut tardè resistendi metuamus : quia nemo meliùs resistit diabolo , quàm qui neque ad congressum illum admittit, eive respondere dignatur; nemo minùs consentit , quàm qui neque colloqui cum diabolo, nec quid sibi velit, nòsse advertere dignatur; nemo citiùs resistit, quàm is, qui primos etiam hostis assultus frangit : quod facit, qui illos contemptu expedit, & neque animadversione dignatur: is enim neque ad suggestionem plenè faciendam diabolum admittit, primum autem tentationis opus est : suggestio, secundum : delectatio, tertium : consensus, ex quibus duo postrema in anima sunt, quando sunt: & consensus quidem peccatum est; delectatio peccatum non semper est, nisi quando morosa, vel cum consensu est. at suggestio tota extra animam est, licèt ad animam fiat. quàm citò ergo putandus sit is tentationi resistere, qui etiam suggestionem non admittit , facile quisque cognoscit. Atque ita omni tentationis generi securissimè & fortissimè resistitur , quando contemptu suprà explicato resistitur. Sic quando resistitur, nec anima molestiam patitur, ab importunitate & assiduitate tentationis , quia illam non curat; neque à melioribus studiis tentatione avertitur, quia ab illis non tantùm avocatur , sed etiam ad illa, occasione tentationis , magis advertitur & applicatur, immò per ipsam illam applicationem, diaboli vis, & tentationum omnis violentia statim in ipsa prima suggestionem frangitur ; ùt veluti ex glacie factus gladius objecto contemptùs clypeo diffilit

diffilit

diffilit & eliditur, immò eluditur. Sic quando resistitur, omnis tentationum instantia, omnis passionum vehementia, nullo labore, nullo periculo sustinetur & vincitur. Neque aliam quisquam inveniet rationem resistendi (post divinam gratiam, cœlestéque auxilium, quod hîc semper supponimus) meliorem, id est, securiorem ac faciliorem, quàm istam jam modò explicatam. Quæ in omnibus quidem tentationibus locum habet, sed præcipuè in tentationibus molestis (ût sunt vindictæ ac recenter ferventis libidinis, contra fidem, blasphemæ, suspiciosæ, contra vocationem, tepidæ, scrupulosæ &c.) ea si adhibita non fuerit, nulla humana industria proderit.

Hujus doctrinæ, de resistendo tentationibus, jam prædictæ, illa causa est atque fundamentum, ex natura intellectûs nostri virtutisque animæ advertentis, seu reflexivæ, ad objecta proposita sibi, desumpta. Est enim intellectûs nostri ea ratio, ut ad duas res nullo modo plenè advertere possit, seseque convertere, & eis inhærere atque occupari. Potest quidem intellectus uni rei se applicare, & interim dum uni est applicatus, aliam objectam sibi percipere, sed si se ad illam insuper objectâ voluerit etiam convertere, à priori illâ advertendâ necessariò se debet avellere. Quando igitur tentationem diabolus objicere vult, tum vel otiosam mentem quærit, & ei inventæ tentationis objectum proponit; à quo objecto si mens statim se ad aliud quidpiam contuendum non avertit, necessariò ad tentationem advertit, & jam suggestionem excipit, delectationisque opus succedit, cui si non resistit, con-

sensus in foribus & peccatum est. Si autem sese mens à tentatione tentata statim ad aliud quidpiam disparatum à tentatione converterit, & ei se adverterit otiumque excusserit, necessariò tentationi renuntiabit, & ad eam non tantum non advertet, sed nec advertere poterit: consequenter neque eam delectari, aut in eam consentire. Vel certe occupatam aliis rebus ac studiis invadit, & suam ei tentationem pro eis substituit; & tunc si se mens non custodit, sed primis suis occupationibus desertis, ad tentationem se convertit, jam suggestionem habet & tenet, quia tentationem jam cernit & advertit: quam nisi ruperit, delectationi locum dabit, cum delectatione autem periculosa pugna est, & facilis consensus; ut ergo non facile consentiat, delectationi fores claudat; ut claudat, aversionem impediat; ut impediat, se se ad prima illa objecta, in quibus deprehensa est, vel ad alia similia, à tentatione diversa, convertat, & ad tentationem nec quidem advertat, sed eam contemptu & neglectu auctori suo relinquat. Quod si mens cauta diabolum spernit, & suis intenta est; labor nullus, victoria plena est.

Ex quo patet, quanti referat, hanc advertentiam mentis nostræ illico à tentatione ad aliud diversum objectum transferre, atque tentationi illam subducere. Patet etiam, quàm periculosum sit, mentem otiosam habere, ut non sine causa dictum sit: Otium pulvinar diaboli; & otia, dant vitia, & in desideriis est omnis anima otiosa &c. Patet insuper, quàm efficax sit iste modus resistendi tentationibus, & quàm in ipsâ naturâ intellectûs nostri fundatus.

datus.

datus. Quod adhuc validius confirmari potest ex eo: Omnis tentatio peragitur suggestione, delectatione, consensu, hoc quidem ordine: primum suggestio menti objicit aliquid peccaminosum seu malum: mens illud objectum habens propositum, cognoscit, cognitum advertit esse tale vel tale, bonum, malum, delectabile &c. Sive autem hæc advertentia non statim, sive statim peragitur ab illâ cognitione, ita ut nihil sit ab ea divisa, advertentia tamen illa provocat delectationem sive concupiscentiam, ut vocat S. Iacobus. Delectatio expenditur aversione aliâ, & quodammodo deliberatione circa objectum, sitne scilicet acceptandum cum sit delectabile? an rejiciendum, cum sit illicitum & turpe? post deliberationem acceptatur à voluntate delectatio & fit consensus, & quia fit contra rationem (illicitum enim & turpe ratio reprobatur) consensus ille est peccatum. Hæc in objectione tentationis non est peccatum; in cognitione ejusdem primâ, simplicique non est peccatum; in advertentia ejusdem, quod sit talis, nondum est peccatum; in delectatione concupiscentiâque motâ ex objecto seu tentatione delectabili & concupiscibili, adhuc non est peccatum, (nisi jam sit collusio voluntatis) In advertentia, quod objectum sit delectabile ex una, illicitum ex alia parte (uti & in deliberatione, sitne acceptandum, quæ antecedit consensum) nondum etiam est peccatum. At si voluntas pro licito magis est contra delectabile, & negat consensum: vincit: Si verò pro delectabili magis est contra licitum (quod idem est ac contra rationem, legem &c.) consentit, & peccavit, captâque

est. Hic videmus, quàm longè sit advertentia illa cognitióque tentationis ab objecto propositæ à consensu : quia etiam ipsam delectationem & delectationis advertentiam antecedit. Videmus igitur etiam necessariò, quàm sit iste, [de quo loquimur] tentationibus resistendi modus securus, & à peccato remotus, qui illam ipsam advertentiam, tam à consensu remotam, non dico non admittit, sed admissam statim impedit, statim deserit, & aliâ ad aliud objectum aversione excludit.

Quærat aliquis, cur tandem velim tentationibus resisti, negando aversionem illam etiam quæ præcedit delectationem, cum tam sit à peccato, hoc est, à consensu remota? Respondeo imprimis, diabolum iisdem esse petendum artibus, quibus petit. Tentat ille, hominis mentem avocando à bonis ad mala, hoc est, curando, ut non attendat bonis, advertat verò se ad mala; ideo repellendus est etiam sic, ut hominis mens attendendo ad bona, non attendat ad mala. Deinde respondeo causam esse hanc, quia *qui amat periculum, peribit in illo*. Anima nostra est veluti stuppa sicca, fomitem peccati insuper in visceribus habens, minima delectatione succendendum, si se offerat. Tentatio ignis est, suggestio scintilla, cognitio tentationis est stuppæ quædam incensio, an illuminatio? qui vult, iudicet. Si post cognitionem & aversionem tentationis (quòd sit tentatio) succedat delectatio, quid aliud speretur, nisi stuppæ accensio & conflagratio, hoc est, voluntatis & animæ ad peccatum per delectationem inclinatio sive consensus? Ne igitur delectatio consensum provocet, delectatio impedienda est,

ne in mente nascatur; non nascetur, si advertentia præpediatur: præpeditur, quando mens ad alia convertitur, & illa contempta atque dissimulata, flaccescere atque languescere finit.

Quærat aliquis adhuc, ad quæ tandem & qualia objecta sit mens convertenda, cum tentari se suggestionis sentit? Respondeo: Primùm quidem ad invocationem auxilii Divini & Sanctorum tacitam & devotam. Deinde vel ad id, quod habet homo in manibus tunc cum tentatur, vel ad timorem Dei, timorem pœnæ æternæ, timorem judicii divini, vel ad amorem & vulnera Christi, ad amorem Beatæ Virginis, ad amorem virtutis, ad suum statum, & ad similia, in quibus homo liber est sui que juris, modò bona sint, quæ tunc cogitet, aut saltem non mala: tunc enim etiam ad indifferentia advertere indifferens non est, quia id fit, ut tentatio explodatur; dummodò hæc cogitatio talis sit, ut attentionem ad tentationem impedire possit.

Hæc opinor non otiosè, neque infructuosè, etsi præter intentionem meam hujusque tractationis finem & naturam, dicta sunt; & ut minimùm ad hoc proderunt, ut solidis viris solidi securique modi (cum tentationibus suis pugnandi) proponantur. Placebit alicui non uti? libertate fruatur, hac in re, suâ, ego neminem sententiis meis in servitutum redigo. Quanquam hæc quæ attuli, mea dicere non possum, cum & in probatis scriptoribus reperiri sciam, & experientia Magistra id commendatum in multis habeam, & hinc nihil de meo, præter verba & explicandi conatum, exhibeam. Redeo tandem ad propositum.

Ener-

Enervari virtutem, etiam neglectu atque non usu virtutis, certum est, nec probandum multis. Aqua immota putrescit. Instrumenta etiam ferrea, si in usu non sint, rubiginem contrahunt. Otiosa virtus mortua est. Agere oportet, qui vult virtutem sive habere, sive solidare. Est autem otiosa virtus non solum, quando prorsus nihil & nunquam agit, sed etiam quando vel agere differt, vel agit perfuntorie. Virtutis verbum est *hodie*, *cras* non novit dicere. Virtutis verbum est, *nunc capi*. Virtuti dicitur: *festina, accelera*. Si non festinat, tardat: si tardat, negligit: & quomodo non etiam otiosa est? immo verò est etiam maledicta, *maledictus enim qui facit opus Dei negligenter*. Sed de hoc puncto plura etiam dicta sunt superius. Quando de usu virtutum agimus non negligendo, non est opus verbis, sed ipso usu. Utamur ergo virtutibus, hoc est enim opus nostrum & opus virtutis nostræ.

D I E S VIII.

De rationibus & causis solidandæ virtutis. recensentur sexdecem causæ seu stimuli.

CONSIDERATIO XXII.

Stimuli solidæ & solidandæ virtutis.



Aufas etiam suadentes nobis & excitantes nos ad solidandam virtutem adducere atque expendere, operæ pretium est. Etsi enim ea res cuique obvia est & superius a liâ occasione nonnulla dicta sunt, quæ ad hoc propositum faciunt: complementi tamen causâ nihil oberit,